

quæ actu nos facimus, sive ex contumacia, sive ex infirmitate, testatur; Chemnitius vero in Harmonia p. 484. quia non in genere, inquit, debita, sed nostra debita nominantur, quisque oraturus consideret in singulis Decalogi mandatis, quæ contraxerit & habeat debita & differenter consideret, an sint debita contumaciæ, Psalm. XIX, 14. quæ vocantur mortalia peccata, an vero debita infirmitatis & imperfectiōis, quæ venialia peccata nominantur. Ita enim recte poterimus pro discrimine peccatorum remissionem petere. Et quia nisi pœnitentiam egerimus, peccatum non dimittitur, Jer. V, 7. nos vero securi, secundum cor nostrum durum & impœnitens debita nostra, quam multa, quam magna & gravia sint, non supputamus, non consideramus, non numeramus, de peccatis non serio dolemus, non ex animo detestamur & fugimus ea, non avertimus nos ab illis, delectamur peccatis, predicamus ea, ut Sodoma, Es. III, 9. non habemus timorem DEI ob oculos, non afficimur sensu ire Divine; ideo quando petimus remissionem peccatorum, simul petimus, ut DEUS Spiritu suo securitatem nobis excutiat, ne peccatum dormiat, aut mortuum sit, sed per legem excitetur, ut auferat lapideum & impœnitens, det cor nobis carneum & pœnitens, quod peccata sua agnoscat, detestetur, deploret & expavescat agnitione & sensu ire DEI. Simul vero etiam petimus, ut fide rursus nos erigat & sustentet, ne desperemus. Quid clarius est, quam hominem peccatorem pro conversione sua, antequam credat, preces ad DEUM fundere & posse & debere? Ita prorsus, & majori fere cum ἐμφάσιν, in Commentario ad Matthei VI. *Winstropius.*

XVII. Accedunt IV. convertentium se à peccatis mortalibus exempla, qui conversionis initium à precibus fecerunt. Nam Ephraim delictorum suorum & immissæ sibi ob illa à DEO castigationis memor, memorque, quam difficile sit, à peccatorum contracto longo temporis usu habitu, eoque difficulter mobili, ut Philosophi loquuntur, ad vitam, Divinæ voluntati conformem reverti, petit à DEO, *converte me, & convertar, quia tu es Jehova DEUS meus, Jer. XXXI. 18.* Quæ loquendi ratione & alibi utuntur Israëlitæ: *sana me, ô Jehova, ut saner, serva me, ut server, quia laus mea tu es. Jer. XVII. 14.* Iterumque ex versione & mente Seb. Schmidii: *converte nos, o Jehova, ad te, tum revertemur.* Thren. V. 21. Ecce utique preces conversionem precedunt, immo rogatur DEUS, ut conversionem efficiat, additurque